

bilis; vniformis; & notissimus apud omnes; est etiam primus omnium motuū aliorum orbium; est minor, & velocior; ita quod alij motus possunt illi æuari, & commensurari; ex qua æquabilitate potest cognosci numerus, & quantitas illorum motuum: ergo cum hæc tantum ad tempus requirantur: & motus primi mobilis fundamentaliter illa habeat; optime illi ratio temporis, & mensuræ tribui potest.

Secunda pars, nempe quod motus, & tempus formaliter distinguantur; patet: nam motus absolute consideratus non est formaliter tempus: quia, vt sic, non includit formaliter rationem mensuræ, quæ ad rationem formalem temporis exposcitur: ergo ratio mensuræ distinguitur formaliter à motu: sed ratio mensuræ est ratio formalis temporis: ergo, &c.

Tertia pars est manifesta: nam omnis propria passio ponitur in prædicamento sui subiecti: tempus est propria passio motus, secundum omnes: ergo, &c. Et quia de hoc problematicus videtur Doctor: ideo ad argumeta pro vtraque conclusione respondetur.

Ad primū pro prima conclus.

Ad primum pro prima conclusione dico: quod Doctor sequens communem opinionem in Logica, & in Metaphysica tenuit tempus esse speciem quantitatis à motu realiter distinctam: postea in secundo sententiarum problematicè processit: tandem in quarto se determinauit: & huic loco est standum.

Ad secundū.

Ad secundum dico: quod procedit de tempore communi; quatenus est mensura motuum specialium; non vero vt mensurat motum communem: nam, vt sic, sunt æqualia.

Ad tertium.

Ad tertium, nego minorem: nam sicut tempus est idem realiter cum motu: sic instans cum mutato esse: & ita sunt idem realiter, & distinguuntur formaliter.

Ad quartum.

Ad quartum respondeo cum Doct. in 2. distinct. 2. q. 3. lit. B. ex Arist. 4. Physicorum textu 114. vbi dicit: Tempus posse mensurare se; non quidem primo; sed determinando partem vniam motus; quæ postea; cum nota est: nata est mensurare totum: sicut enim solemus longitudinem aliquam; vt pannum mensurare vna, quæ est longitudo determinata, & nota: sic possumus mensurare primum motum determinando aliquam illius partem; & postea per illam mensurare totum motum primi Cæli, qui est realiter tempus.

Ad primū pro secūda conclus.

Ad primum pro secunda conclusione dico: quod numerus numeratus est ipsum tempus: nam cum tempus sit mensura reduplicationis; reduplicantur plures partes temporis ad mensurandum partes motus: & tales partes reduplicate dicuntur numerus numeratus.

Ad secundum.

Ad secundum dicendum: quod motus est notior tempore quoad sensus exteriores; cæterum tempus est notius motu quoad sensus interiores; communem, scilicet, seu imaginationem: & hoc sufficit.

Ad tertium.

Ad tertium dico: quod motus primi mobilis est aptus ad causandam certitudinem, & extensionem in tempore: non vero vt talis aptitudo in tali motu reperta sit illa, quæ ad tempus requiritur.

Ad quartū dico: quod tempus non est passio motus; nec motus est subiectum temporis: sed dicitur motus temporis subiectum: quia tempus aduenit mobili mediante motu, & hoc tantum vult Doct. in 4. vt supra.

QVÆST. IIII.

An quantitati sit aliquid contrarium?

Amplius quantitati nihil est contrarium, &c. cap. eod.



VAERITVR: an quantitati sit aliquid contrarium? quod sic, videtur; primo, per rationes generales: Aliqua quantitas magis distat ab alia; aliqua minus: igitur aliqua maxime distat ab alia: sed contrarietas est maxima distantia in eodem genere, per Arist. 10. Metaph. igitur aliqua quantitas alij contrariatur: prima consequentia ostenditur prius autoritatibus, & ratione supra.

Itē, in hoc genere, & in omni alio, est differentia secundum speciem: & illa est contrarietas, per Arist. 10. Metaph. Vbi supra igitur, &c.

Item, hoc arguitur per rationes proprias: quia per Arist. 5. Physicorum omnis motus est à contrario in contrarium; vel à medio in medium: sed in genere quantitatis est motus proprie dictus, per ipsum ibidem: igitur ibi sunt contraria; vel media inter contraria: & si media: igitur contraria.

Item, suscipere magis & minus; & recipere contraria, sunt proprietates cōuertibiles respectu cuiuscūque generis: sed quantitas suscipit magis & minus: igitur etiam contraria. Maior patet inductiue: probatio minoris: magnū & paruum sunt per se passiones quantitatis, & eius solius: sed magis & minus non sunt; nisi vbi est magnum & paruum, & non alibi: igitur in solo genere quantitatis. Similiter; omne totum est

Ad quartū

Tex. com. 13. & 24.

Tex. com. 9. & 52.

est

est maius sua parte: sed quantitas aliqua est per se pars alterius quantitatis: igitur in quantitate est per se magis & minus. Similiter, in sunt per se æquale & inæquale: sed inæquale est magis vel minus: igitur, &c.

Item, magnum & paruum videntur quantitates contrariæ: similiter sursum & deorsum: igitur, &c.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad questionem est dicendum: quod contrarietas sumitur æquiuoce: scilicet, proprie, & transumptiue: transumptiue dicitur absolute maxima distantia in genere: & extenditur ad oppositionem priuatiuā: sicut in 1. Physicorum dicitur; principia esse contraria, pro forma, & priuatione: oppositum enim hoc modo est contrarietas in omni genere: quia omnis diuisio generis est per differentias oppositas hoc modo contrarias: Sed contrarietas proprie sumpta est maxima distantia formarū, quæ natæ sunt fieri; & mutuo se expellere circa idē susceptiuū hoc modo negatur à substantia, & quantitate: & est hoc intelligendū in definitis; id est, in speciebus quantitatis; vt dicit Arist. non forte in passionibus. Similiter, intelligendū est de quantitate secundū se: non secundū esse naturale: quia forte illo modo habet contraria: vt dicitur respondendo ad argumeta.

Tex. com. 24.

Ad primum dicitur: quod in quantitate nulla est maxima distantia: sed sicut diuisio continui procedit in infinitum: ita etiam infinitas in continuis, & numeris causatis ex diuisione eorum.

Cap. de spe cie.

Contra hoc est, quod dicit Porphyrius: quod species specialissimæ sunt finitæ secundum naturā: licet non quoad nos: Hoc etiam videtur per rationem: quia quælibet species est pars essentialis vniuersi: & in illis partibus non videtur possibilis infinitas: quia hæc repugnat ordini, qui est bonum vniuersi.

Potest igitur dici: quod quauis essent infinita species in potentia quantitatis: licet nulla infinitarum alij contrarietur: quia nec maxime distat: tamen species intermedia his communis potest maxime distare ab alia specie intermedia communi illis: vt continuum maxime distaret secundum formam quantitatis à discreto: licet continua essent infinita; & discreta similiter.

Potest igitur dici: quod duæ primæ

rationes verum concludunt de contrarietate primo modo dicta transumptiue: quia tantū de ista est vtraque autoritas Arist. intelligenda.

Ad tertium dico: quod ad quantitatem secundum se non est motus: sed, vt subest Naturali: & illo modo habet contrarietatem: vt imperfecta quantitas, perfectam: ad quas, & de quibus, sunt augmentatio, & diminutio: iste differentia non sunt quantitatis secundum se; sed quantitatis naturalis: imperfecta enim dicitur, quæ non est debita speciei secundum suam formam naturalem: perfecta, per oppositum; nam, vt dicitur in secundo de anima: Omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, & augmenti: non enim aliqua quantitas imperfecta absolute est in genere quantitatis: sed imperfecta tali enti naturali: & secundum hoc mouetur aliquid ab imperfecta quantitate ad perfectam; vel e conuerso.

Contra: motus est ad rem alienius generis: non ad ens per accidens, per Arist. in tertio Physicorum: tot sunt species motus; quot & entis: addit Commentator: acquisiti per motum: sed quantitas sub esse naturali non est species generis: sed ens per accidens: quia compositum ex duobus, quorum vnium alteri accidit: igitur ad quantitatem, sic, non est motus: sed ad illud, quod per se est in genere quantitatis, est motus: igitur illi est aliquid contrarium.

Potest dici hic: quod ad quantitatem est motus: ita quod ad quantum per motum; vt terminus, est per se in genere quantitatis: sed non acquiritur, vt quantitas; sed sub tali modo essendi: & sub tali modo essendi habet contrarium. Tunc oportet dicere: quod non oportet illi formam, quæ est per se terminus motus, esse aliquid proprie contrarium: sed tantum ei; vt acquiritur per motum. Tunc ad formam dico: quod quantitas sub esse naturali; si intelligatur vnium compositum ex his; est ens per accidens: sed ipsa quantitas non: licet sumatur sub tali modo essendi: quando modus non intelligitur esse pars entis compositi ex duobus: & ita ad quantitatem est motus.

Ad quartū argumetum dico: quod aliud est suscipere magis, & minus; & aliud est suscipere magis, & minus: quia magis & minus dicuntur secundū quantitatē



titatem: sed magis & minus dicunt intentionem, & remissionem in forma, cui additur: concedendum est tunc: quod quantitas suscipit maius, & minus: sed non magis.

Hic in littera.

Ad quintum de magno, & paruo, respondet Arist. quod non sunt quantitates: quia dicitur in sola habitudine ad aliud: aliter nunquam diceretur mons paruus; & milium magnum. Similiter respondet: quod si sint quantitates; non sunt contraria: tum, quia ei, quod dicitur in sola habitudine ad aliud, nihil est contrarium: huiusmodi sunt magnum & paruum. Tum, quia tunc contraria dicerentur de eodem: quia aliquod idem est magnum ad hoc; & paruum ad illud: igitur est magnum & paruum.

Contra primam responsionem Arist. in 5. Metaph. ponitur magnitudo per se species quantitatis: & concretum non est in alio genere ab abstracto.

Item; ibidem in quinto dicitur magnum & paruum esse quantitates per se.

Cap. de resolutione.

Contra secundam responsionem probantem magnum & paruum non esse contraria: prima probatio non videtur valere: quia relationi aliquid est contrarium: ut dicit Arist. inferius: ut virtus vitio; & scientia ignorantia. Secunda probatio non videtur valere: quia omnia opposita inferunt contradictoria: igitur ad illa, ad que non sequuntur contradictoria, non sequuntur alia opposita: sed ad premissas, in quibus est respectus ad diuersa, non sequuntur contradictoria: sed est ignorantia Elenchi: ut, est duplum ad hoc; & non duplam ad illud: ergo duplum, & non duplum: igitur nec aliqua opposita sequuntur ad tales premissas.

Ad primum istorum potest dici: quod magnitudo sumitur æquiuoce: ut est species quantitatis: & ut est passio: secundo modo, dicitur magnum denominatione à magnitudine; quando Arist. negat magnum esse quantitatem.

Ad aliud dico: quod sunt quantitates per se secundo modo: id est, passionem quantitatis: non primo modo; per se, ut species.

Ad aliud dico: quod nihil dicitur contrarium eius, cuius est relatiuum: quia contraria, & relatiue opposita in multis distinguuntur: magnum autem dicitur relatiue ad paruum: igitur non est eius contrarium: ita intelligit Arist. tamen contrarium vni potest esse relatiuum alteri:

ut scientia est relatiuum ad scibile; & ei non est contrarium; sed ignorantia: ita in alijs.

Ad aliud dico: quod relatiua possunt prædicari de eodem, & de se inuicem: sed non relatiue opposita: & ita possunt relatiua absolute inferri ex se sumptis, respectu diuersorum: igitur magnum, & paruum possunt inferri absolute ex se sumptis, respectu diuersorum: & ex hypothesi sunt contraria: igitur contraria de eodem. Concedo etiam; quod non possunt inferri opposita relatiue ex se sumptis, respectu diuersorum: sed magnum & paruum posse: & ex hypothesi illa sunt contraria: ergo contraria de eodem.

Ad sextum dico de sursum, & deorsum: quod vel sumitur simpliciter sursum, pro circūferentia Cæli; & deorsum pro cætro terræ: vel sumitur generaliter; ut quodlibet dicitur sursum respectu inferioris. Primo modo non sunt contraria: quia non sunt nata fieri circa idem: nec maxime distant in natura: licet forte maxime distant secundum locum: secundo modo sunt ad aliquid: & est vtraque responsio de eis, quæ de magno & paruo.

Potest tamen dici: quod siue sint contraria, siue non: nihil ad propositum: quia si sunt species, vel differentia loci; non sunt in genere quantitatis: quia nec locus: ut prædictum est.

Summa textus.

QVAMVIS Arist. tres in presentia rum quantitates proprietates enumerauerit: videlicet, non habere contrarium: non suscipere magis & minus: & esse æquale, vel inæquale: de prima tantum in hac questione Doctor differere voluit: & quod non sit proprietas quantitati conueniens quinque vel sex probat argumentis: quibus non obstantibus pro intelligentia notat; contrarietatem large, & stricte sumi: de qua distinctione iam supra q. 3. de Substantia ad tertium dixerat: & nos q. 4. ibidem art. 1. conclusionem quartam tractauimus, quo prænotato.

Dicit primo, sumpta contrarietate stricte, quantitati secundum se nihil est contrarium; bene tamen: ut est in composito physico, & naturali. Prima pars probatur eodem modo, quo supra contrarietatem à substantia repulimus; dum modo intelligatur (ait Doctor) de speciebus quantitatis: non tamen forte de passionibus ipsius.

Secundam partem probat argumentum tertium: quod cum sua solutione est maxime ponderandum: tam enim est utile; quam clarum.

Secundo dicit: sumpta contrarietate large, sic quantitati bene est contrarium: hanc probant duo

1. Conclus.

2. Conclus.

duo priora argumenta: & ex se est manifesta: nã talis contrarietas in omni genere reperitur.

3. Conclus.

Tertio dicit: quantitatem non suscipere magis & minus: sed maius, & minus, habetur in solutione ad quartum, & ex dictis quest. 4. de subst. art. 2. manet explicata, & probata.

Tandem ad argumenta responderet: ad primum primo, ex alio um mente, quorum solutionem in aliquibus approbat; & in aliquibus rejicit: fatetur enim species infimas quantitatis esse in potentia infinitas; & sic nullam alteri proprie contrariari; quia inter se non maxime distant: hoc tamen negat de speciebus intermedijs. Sed quia hoc non est ita certum suam adhibet solutionem dicens: argumentum procedere de contrarietate large sumpta: & per hoc ad secundum.

Ad tertium; & quartum patet clare in littera. Ad quintum responderet cum Arist. magnum, & paruum sumi relatiue; ut dicunt respectus excedentis, & excessi; vel sumi pro fundamentis: primo modo non sunt quantitates: bene tamen secundo modo: non directè; sed reductiue: nam magnitudo dicitur de speciebus quantitatis, & de suis passionibus: & magnum denominatur quantum à quantitatis passione: & ideo reductiue in hoc prædicamento collocatur. Et hoc est in summa, quod docet Doctor in illa solutione. Nota tamen valde distinctionem illam de relatiuis: aliud enim est dicere, relatiua: aliud, relatiua relatiue: relatiua absolute possunt de se inuicem prædicari: non tamen relatiue sumpta: hæc enim est vera respectu diuersorum: pater est filius: quia bene potest Petrus esse pater Ioannis; & filius Francisci: tamen hæc est falsa: pater est filius: si relatiue sumantur: quia tunc idem respectu sui esset pater, & filius: quod implicat. In solutione ad sextum non est cur immoremur. Cæterum, ut aliarum quantitatis proprietatum notitiam plenam habeamus; sequentem articulum ventilabimus.

ARTIC. VNICVS.

An ista; & alia quantitatis proprietates ipsi in quarto modo conueniant?

CVM Aristoteles in hoc capite nobis exactam cognitionem quantitatis tradere non intenderit; ideo tres prædictas illius proprietates numerauit: Attamen expositores eius ex varijs locis alias tres assignant: videlicet quod sit diuisibilis ex 5. Metaph. text. 18. & ex 3. Physicorum cap. de infinito. Quod sit finita, vel infinita, ex 1. Physicorum. Quod sit mensura, ex 10. Metaph. text. 2. & de his omnibus inquirimus, an sint quantitatis proprietates; & quomodo illi conueniant. Et quod non sint proprietates, quarto modo illi conuenientes probatur; & primo, de diuisibilitate sic arguit pater Didacus à Iesu: hæc proprietas solum conuenit quantitati continue: ergo non est proprium quarto modo omni quantitati: antecedit probatio: quia discretum; ut discretum est actu diuisum: ergo non est diuisibile: quia sicut repugnat, iam factum; ut sic; de nouo fieri, sic repugnat, quod actu est

1. Argum.

diuisum, ut sic de nouo diuidi: ergo.

Secundo arguit: discretum constituitur per diuisionem continue: ergo solum continue est hæc diuisione diuisibile: pater consequentia: quia si discretum; ut discretum, esset diuisibile per diuisionem discreti; ut discretum; constitueretur etiam discretum; hoc autem nullus unquam dixit: & experientia constat esse falsum: ergo dicendum est diuisibile non esse proprium quantitati in communi.

2. Argum.

Tertio, de finito; & infinito, sic argumentor: finitum & infinitum conuenit alijs à quantitate: ergo non est illi proprium quarto modo: an recedens probor: nam conuenit substantiæ; qualitati; & quantitati perfectionis: ergo, &c.

3. Argum.

Quarto, de æquali & inæquali: tum quia pertinent ad prædicamentum relationis: tum etiam quia subiectum non potest dari sine passione propria in nostra opinione: sed si daretur vnum quantum solum in rerum natura; illud nec esset æquale, aut inæquale: ergo hoc disiunctum non est proprium quarto modo huius prædicamenti. Tum denique: quia conuenit substantijs, & qualitibus habentibus æquales gradus perfectionis: tunc enim dicuntur æquales, ergo, &c.

4. Argum.

Quinto, de ratione mensuræ sic arguitur: ratio mensuræ conuenit quantitati virtutis: ut constat ex 10. Metaph. text. 12. ergo non est proprium quarto modo.

5. Argum.

Sexto, & ultimo sic insurgo, ex Doct. supra, q. 1. §. ad questionem dicendum contra istud. Ratio generis æqualiter inuenitur in omnibus speciebus: non sic ratio mensuræ in continuo, & discreto: quia vni maxime proprie proprium esse mensuram: & cum illud per se sit principium numeri: ab illo primo deriuatur ratio mensuræ ad numerum; & de numero ad continuum: ut manifeste habetur 10. Metaph. com. 2. 3. & inde: ergo secundum Doct. hic: & super text. citatum in Metaphysica; ratio mensuræ non continet per se primo omni quantitati: ergo non est proprium quarto modo quantitatis in communi: quia sicut essentia quantitatis æqualiter participatur; & immediate, à continuo, & discreto; ita & passio sibi propria: & si non hæc: ergo nec illa.

6. Argum.

Pro intelligentia notandum est, ex Doct. 5. Metaph. q. 9. diuisibilitatem esse aptitudinem ad diuisionem in partes extensas eiusdem rationis cum toto; cuius actus non est esse actu diuisum; ut docet ipse q. 1. supra citata; sed diuidi in fieri: potest enim quantitas in infinitum diuidi: sed si per diuisionem entitas ipsius diuisibilis destruitur aliquo modo; nihil inconuenit: quia non nunquam actus destruit subiectum: ut corruptibilitas est passio entis naturalis: cuius actus; nempe corruptio subiectum destruit: quare dicendum: quod diuisibilitas prædicta conuenit cuiusque quantitati: licet per accidens; ratione subiecti, in quo est, diuisionis exercitum non nunquam impediatur: unde si daretur separata à subiecto corruptio: in incapax diuidi posset.

1. Nota.

Secundo notandum: finitatem quantitatum esse; extensionem habere terminis conclusam. & limitatam: infinitatem vero esse; habere extensionem nullis terminis

2. Nota.



clausam: Qualis esset Linea in infinitum protenta. Attamen quia dari infinitum in quantitate est valde dubium; pariformiter dubium est; quo pacto infinitas sit passio quantitatis: quare si illud impossibile iudicetur: asserendum est cum Doct. 2. Metaphysic. quæst. 6. infinitatem, quæ passio quantitatis assignatur; esse infinitatem in potentia; & non in actu.

3. Nota.

Tertio notandum: æqualitatem, vel inæqualitatem esse duplicem: aliam translaticiam, quæ in quantitate virtutis reperitur; quo pacto dicimus duos Angelos esse æquales, vel inæquales. Aliam quantitativam proprie: & hoc modo dupliciter; vel formaliter, pro relatione illa convenientiæ, vel disconvenientiæ quantitatum, quæ ad invicem referuntur; vel fundamentaliter, pro illa aptitudine ad talem relationem: nulla enim est quantitas, quæ non sit apta esse alteri æqualis, vel inæqualis: & de hac æqualitate, seu inæqualitate loquimur in præsentibus.

4. Nota.

Quarto notandum: quod ratio mensuræ est duplex: alia dicitur mensura perfectionis; accommodationis; siue comparationis, quæ in omni genere reperitur: alia est mensura quantitativa, cuius naturam inuestigamus. Rursus utraque est duplex actualis, & aptitudinalis. Mensura, seu mensurare actualiter; ut ex Doct. in 2. distinct. 2. quæst. 2. & in 4. distinct. 48. quæst. 2. & quodlib. 13. & in 5. Metaph. quæst. 9. constat; est, quantitatem ignotam per aliquam magis notam certificare. Vnde certificatio per quantitatem excedentem: hoc est, quando intellectus certificatur de quantitate minori per accessum ad maiorem, vel per recessum ab ea: tunc appellatur mensura actualis perfectionis: & quatenus fundamentaliter est in ipsis naturis, quæ mensurantur, & ad invicem comparantur; dicitur mensura perfectionis aptitudinalis, de qua loquitur Aristot. dum ait: in omni genere dari aliquod unum, quod sit aliorum, quæ sunt in tali genere mensuræ: nam certificatio actualis, ut est cognitio intellectus, potius est istius mensuræ effectus, quam ipsa mensura.

Mensura actualis quantitativa fit dupliciter: alia est certificatio per quantitatem excessivam; quando maior quantitas per minorem mensuratur; & talis dicitur mensura repetitionis, seu replicationis: quia minor quantitas replicatur; quo ad usque de maiori certificemur: alia fit per quantitatem notam, distinctam, ac æqualem mensurato, quæ debet esse ex natura rei notior mensurato; secus, non erit proprie mensura: & tale est tempus respectu motus: & hæc mensura dicitur suppositionis, seu applicationis: nam mensura applicatur, ut æquale sibi mensuret. Mensura quantitativa aptitudinalis; nihil est aliud, quam ea aptitudo, quam habet quantitas ratione suæ extensionis; ut sit actu mensura, vel mensurabilis.

Vnde mensura quantitativa, tam actualis, quam aptitudinalis subdividi potest in activam, & passivam. Activa in actu est, per quam aliud mensuratur, & cognoscitur, tæquam per mediū, & instrumentum: passiva vero actualis est illa, quæ actu mensuratur, & cuius extensio per aliam quantitatem notificatur: & in his esse actu men-

suram tantū est extrinseca denominatio ab actu, seu usu mensurandi proveniens. Mensura passiva aptitudinalis est illa aptitudo, quam habet quælibet quantitas, ut eius magnitudo, & extensio per aliam quantitatem mensuretur; & quæ substantiam, cui inest, mensurabilem reddit; & ideo mensura mensurata nuncupatur: activa aptitudinalis est aptitudo, qua quantitas est ad aliam mensurandam apta: & hæc adhuc dupliciter potest capi: remote, & proxime: remota est ea aptitudo, quam quantitas habet ratione suæ extensionis, ut possit institui mensura per hominū accommodationem: proxima vero est, ipsa iam accommodata, & instituta; ratione cuius institutionis proxime apta est, ut assumi possit tanquam mensura ad aliud mensurandum: & ut sic, non solum importat extensionem quantitatis; sed etiam humanam impositionem, & accommodationem conditionum perfectæ mensuræ.

5. Nota.

Quinto notandum ex Arist. 1. Metaph. tex. 2. & 3. tres requiri conditiones primæ & perfectissimæ mensuræ: prima, quod sit nota, certa, determinata, & fixa. Secunda: quod sit indivisibilis: si enim divisibilis esset posset ab alio mensurari; & pars media esset mensura respectu prioris. Tertia: quod sit Omogenea, & eiusdem rationis cum mensurato: ita ut quantitas non possit qualitate mensurari: ut docet ipse expresse 10. Metaph. tex. 4. Vnde cum præfata conditiones unitati ex propria natura conveniant; cum sit minimū omnium, quæ in genere numeri collocantur: est enim indivisibilis in ratione unitatis: nec minui, nec augeri potest: estque, ex propria natura certa, determinata, & invariabilis: ideo Arist. mensuram per se ad unitatem refert: ipsaque naturalis mensura appellatur. Quantitas autem continua; cum ex sua natura indivisibilitate non habeat; nec invariabilem certitudinem; nisi tantū quatenus ex hominū beneplacito, loco unitatis accipitur ad mensurandas res humano vsui deputatas: ut vlna, palmus, digitus, modius, &c. Ideo mensura artificialis dicitur: in quantum per modum indivisibilis, invariabilis, & minimi, a nobis accipitur.

1. Conclusio.

Dicendum primo, non habere contrarium; nec suscipere magis & minus non sunt propria quantitatis in quarto modo: sed in primo. Hæc est communis: & probatur: nam & si omni quantitati conveniant: non tamen soli: quia, ut vidimus, etiam substantiæ competunt: ergo, &c.

2. Conclusio.

Dicendum secundo: ratio mensuræ in actu; siue sit activa; siue passiva; nec mensura aptitudinalis proxima; est propria passio huius prædicamenti: hæc ex dictis patet.

3. Conclusio.

Dicendum tertio, esse divisibile; esse finitū, vel infinitū; esse æquale, vel inæquale; esse mensuram passivam aptitudinaliter; siue activam aptitudine remota; eo modo, quo in notabilibus manet explicatū; sunt propria quantitatis in quarto modo. Hæc est Doct. 5. Metaph. q. 9. & probatur: illud est propriū quarto modo, quod de subiecto in secundo modo dicendi per se prædicatur: huiusmodi sunt hæc quatuor respectu quantitatis: ergo minor pater demonstrando unumquodque per rationem extensionis: ut supra diximus.

4. Conclusio.

Dicendum quarto, aptitudo ad essendum in loco

loco extensio, & sicutaliter, seu commensurative, est etiam propriū quarto modo quantitatis. Hæc debet esse communis: nam quantitas ex se habet talem aptitudinem, quæ sibi omni, soli, & semper convenit: & non ut essentia: quia prius intelligitur quantitas habere partes in se, quam in ordine ad locum: ergo sibi convenit; ut passio: quævis actualis extensio localis; & actualis impenetratio, sint quantitati accidentia communia.

Ad primū, & ad secundū.

Ad argumenta in oppositum respondetur: ad primū nego antecedens: ad probationem dico: quod numerus formaliter sumptus est in potentia divisibilis: v. g. denarius in duos quinariorum tanquam in partes eiusdem rationis dividitur: at tamen actu est indivisibilis secundum suam quidditatem licet unitates, in quibus subiectionatur sint actu divise: sed tales non sunt numerus; sed subiectum numeri. Et per hoc ad secū-

dum: nam per divisionem discreti etiam discretum constituitur.

Ad tertium, quartum, & quintum, patet ex dictis in corpore articuli ad sextum dico: quod mensura passiva aptitudinalis æqualiter convenit omni quantitati, tam discretæ, quam continuæ: quælibet enim est apta mensurari: & etiam mensura activa aptitudinalis: quia quævis potest ad mensurandum destinari: tamen si talis aptitudo consideretur, ut dicitur ordinem ad intellectus; ut ad causam accommodantem & utentem quantitate ad hoc, ut sit mensura proxima activa: tunc ratio mensuræ talis prius convenit quantitati discretæ, quam continuæ; sed talem aptitudinem mensurandi activam, iam cum hoc ordine ad intellectum, a proprietate huius prædicamenti exclusimus: & hoc tantum probat argumentum; & sibi volunt Philosophus, ac subtilis Doctor.

Ad tertium, quartum, & sextum.

